



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibus Singlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Capvt X. De tertia vitæ Eremiticæ mansione & diæta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38621

Hæc sunt secundæ stationis exercitia, quæ quidem priore diuturnior est, nam mortificatio & virtutes, lux spiritualis, & divinarum rerum cognitio diuturniorem temporis moram requirunt.

Verum hic advertere omnino necessarium est, quod etiam si ista diætæ huic propria assignemus exercitia, nequaquam tamen prioris stationis sunt rejicienda, sed præsertim assidue continuanda erit, alta & profunda cordis compunctio, & peccatorum contritio. Vnde in anima duo præcipui certissimè nascuntur fructus: primus, cordis puritas, quæ nullo alio medio facilius, citiusque obtineri potest; secundus, quotidianum cognitionis propriæ, timoris Dei, odii & execrationis sui ipsius augmentum; quæ ædificii spiritualis petreæ sunt fundamentales, atque ideo ex anima nunquam evellendæ.

Quanto temporis spatio in hac statione delectandum sit, difficulter ad regulam definiti potest, neque enim omnes pari, æqualique studio, aut conatu se exercere solent, regulariter tamen dicere possumus sex, aut octo mensium spatium, ad mediocrem in mansionis hujus exercitiis profectum sufficere, ut ad altiore & nobiliorē valeat ascendere tertie stationis exercitationem: præsertim vero cum sicuti in secunda primæ, ita & in tertia secundæ diætæ exercitia non omnino sint relinquenda; semper enim aliquid ex malorum passionum radicibus extirpandum, aliquid etiam in virtutum studio perficiendum restat, utque dum in affectum cordis transeunt, non solum magnam facilitatem, sed etiam gustum & dulcedinem sui operatione producant.

C A P V T X.

De tertia vita Eremitica mansione & diætæ.

Agedum nunc tempus est, frater mi, ut tanquam verus solitarius post interiorum, & exteriorum sensuum spirituales in prædictis exercitiis pastum velut alcer Moyses *mines gregem ad interiora deserti*, id est, ut omnes potentias tuas ad intima deserti, magisque spiritualia & profunda exercitia deducas, incipiasque jam ad illam remotissimam tendere solitudinem, & ad intimam cum DEO, & in DEUM unionem, & transformationem, toto corde & conatu anhelare.

Ad hanc divinam unionem, duplcis generis exercitia propriè, proximèque destinantur. Vnum ad voluntatem pertinens, quod in vivis accensisque unionis, & transformationis in DEUM desiderii consistit: alterum ad intellectum, divinarum perfectionum cognitionem, & contemplationem continens. Et de hoc quidem modo; postea de illo dicturi sumus.

Cum DEUS animam viderit jam emundatam, & cordis puritate, & virtutum gemmis, patientia, scilicet, humilitate, mansuetudine, castitate, justitia adornatam, quasi amantissimus misericorditer Pater, pietatis suæ sinum aperiens, radium particularis lucis & intelligentiæ, quo altiori & profundiori contemplatione, ac DEI cognitione illustretur, infundit, ut eleganter docet *Carthusianus de Fonte lucis cap. 8.*

Cum DEUS videt animam purgatam, humilitate, patientia, mansuetudine, castitate, justitia, &c. cæteris quoque virtutibus moralibus informatam, exultatque ayidam, & fontem sapientiæ

inbiantem, ac de se percussuram affectantem, mox vultum suum super eam illuminat, sapientiæ radio eam clarificat, seipsum ei præ solio clarior, gratiosiusque ostendens, atque incerta, & occulta sapientiæ suæ propalans, ita ut ea, quæ huiusmodi sunt, rationesque credendorum, & nexum, & ordinem credibilium subtiliter speculetur, ita ut lætitudina & grata mente decantet *Psalm. 15. Benedicam Dominum, qui tribuit michi intellectum.* Quod quam desiderabile sit ac præclarum fateatur *Proph. dicens Psalm. 93. Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.* Vnde & S. Joannes Apostolus in sua 1. Epist. scribit purgatis hujusmodi fidelibus: *Vultus ejus docet vos de omnibus.*

Paucis hic docebinus, quænam in hac diætæ contemplationi materia potissimum seligenda sit, relicta aliis quamplurimis, quæ latius de *contemplationis divina lib. 3.* profecti sumus.

Nunc contemplationis gradus, qui in hac statione conscendendi sunt, ex parte materiæ distinxisse sufficit.

Primus gradus est contemplationis animæ nostre, quæ ut DEI imago facillimè ad divinitatis cognitionem, intellectum elevat. Ipsa namque clarissimum est ad DEI perfectiones contemplandas speculum, si enim invisibilia DEI, ut inquit *Apostolus, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*, in nulla certe creatura expressiora sunt naturæ divinæ vestigia, quam in anima rationali; unde qui DEUM clarè admodum in hac vita intuitu desiderat, speculum illud Divinitatis, quod in se habet emundare, & purificare contendat, sicque incipiet divinæ lucis fulgore, in animæ suæ centro irradiante, DEUM cognoscere, & contemplari. Hinc dicebat *David Psalm. 138. Mirabile facta est scientia tua ex me.* Et S. Augustinus in hoc contemplationis genere verissimè *lib. 10. Confess. cap. 7. J.* Quid ergo amo, cum DEUM meum amo? quis est ille super caput animæ meæ? per ipsam animam meam ascendam ad illum. Transibo vim meam, qua hæreo corpori, & vitaliter compagem ejus repleo, & *infra cap. 27.* Sero te amavi pulchritudine tam antiqua, & tam nova, sero te amavi, & ecce incus eras, & ego fortis, & ibi te quærebam, & in ista formola, quæ fecisti deformis irrueram. Mecum eras & tecum non eram, ea me tenebant longe à te, quæ si in te non essent, non mihi essent.

Quia vero de hujus contemplationis modo, & praxi, ab animæ cognitione ad DEI contemplationem ascendendi, latius tractavimus *lib. de Contempl. divin. cap. 2. & 3.* hic super sedebimus.

In hoc statu Eremita ordinariè sese impendat, in vitæ & passionis Christi D. contemplatione, modo quidem quam hæcenus sublimiore magisque intellectuali, infinitas nimiram certo fidei obtutu intuendo divinitatis perfectiones, in sacratissima Filii DEI humanitate clarissimè coruscantes, & immentia, innumeraque beneficia per Christum Dominum in nos promanantia, ac denique virtutes admirabiles in totius vitæ decursu in summo gradu prælucentes, quas tota animi diligentia, & conatu, in se exprimitur annuntiat.

Poterit tamen divina auxiliante gratia, etiam immediatè, & absque creaturarum scalis ad divinitatis contemplanda mysteria ascendere, cujus contemplationis materiam Dionysius *Carthusius* expressit, omnia quæ de DEO contemplari possumus, his verbis complexus. Quem admodum Deus sit bonitas infinita, pura, veritas sempiterna,

UNITAS

unitas simplicissima, purus actus, omnipotens virtus, sanctitas exemplaris, sapientia aeternalis, causa & ratio omnium Idealis, esse purum in se subli- stens, ac separatam universon principium, pri- ma omnis rectorum, omnisque iustitiae, verita- tis, & virtutis regula & mensura, ens in quo est omnis nobilitas, omnis pietas, & iustitia, summa charitas, ac dulcedo, omnis pietas, & iustitia, summa charitas, plena libertas, omnisque perfectio, abs- que mensura & fine, & protus simplicissimè, ita ut omnia ista sint unum, unitasque in DEO, scilicet simplicissimum, ac superditiissimum ejus esse, tam infinitè incomprehensibiliterque perfectum, ut omnia ista simplicissimè, ac supereminentiissi- mè comprehendantur: hæc omnia de DEO excello, ac glorioso limpide, amorosè, ac congratulatorie contemplari, ad hanc contemplationis speciem attinget.

Nec ab hoc statu aliena est profunda & humi- lis teraustissima Trinitatis contemplatio, pau- cis, iisque purissimis, & exercitissimis animabus concessa. Cujus materiam admodum objecti altissimam, [lib. 3. de oratione divina cap. 1. §. 3.] his verbis declaravimus. Ad hanc contem- plationis speciem pertinet intruere quemadmo- dum in vero ac simplici DEO, sit aeterna, actua- lissima ac purissima generatio, qualis est emana- tio Verbi aeterni à Patre summo, qui seipsum per- fectè aeternaliterque cognoscens ac inuens suiip- sius conceptum, & Verbum aeternum in se pro- fert, ac gignit. Quod namque in se, & de se cogno- scit, ac intuetur, hoc intra se loquitur ac producit; & quoniam unico actu intelligit seipsum, & om- nia perfectè intelligit, idcirco una prolacione in- ternà, seu generatione mentali, seipsum & cuncta plenissimè intra se exprimit, & unicum dumtaxat Verbum gignit, quod est ipse perfectè ac natura- lis imago, splendor, ac Filius, omniumque crea- turarum exemplar: ideo & ratio atque totius uni- versi forma archetypa in mente divina. De quo S. August. qui negat, inquit, mundum, archety- pum negat, & DEI Filium. Hinc in verbo isto æ- terno tota Patris natura splendet, totaque ejus majestas, ac perfectio repræsentatur in eo. Unde [lib. 5. de Trinitate asserit August.] Patet tan- quam seipsum dicens genuit Verbum sibi æquale. Amplius ad hanc contemplationis speciem perti- net intruere, quemadmodum Pater & Filius se in- tuentes, invicem volentes, & mutuo incompre- hensibiliter, ac superfluavissimè complacentes produunt, & intra se spirant unum creatum, plenum ac infinitum amorem, propriæ amabili- tati proportionatum, qui est amor & nexus, oscu- lumque amorum. Quemadmodum enim est Verbum emanatio intellectus, sic amor est emana- tio voluntatis. Rursus spectat ad hanc speciem contemplari, quam verè super beatissima, ac su- perdeliciosissima hujus altissimæ Trinitatis sit vi- ta, quemadmodum hæc super venerabiles, super- sublimes, ac super sanctæ personæ se mutuo intue- antur intuitione penitus comprehensiva, jucun- dissimè, ac æternè, se in vicem quoque diligant, a- more superardentissimo, & immenso, sibi que mutuo perfectè ac supergaudiole complacent, atque se in vicem super speciosissimè perficiunt, & qualiter sit in eis plena communio, superjucunda diffusio, consistentia supergloriosissima & æteri- na.

Alia etiã sunt contemplationis SS. Trinitatis ar- cana, quæ supposita DEI veritate facillè intellecta, voluntatem mirificè inflammant, devotionem

Thom. à Aquino, Tom. II.

augent, maximum animæ fructum adferunt, summa suavitatis dulcedine gustantur, & quod maximi momenti est, animam incensi amoris ca- tenis fixam, & DEO suo colligam tenent. De quibus [lib. 4. de consempl. divina cap. 17.]

CAPVT XI.

Modus per viam affectivam ad divinam unionem tendendi.

Diximus de nobilissima intellectu operatione; quæ in rerum divinarum contemplatione consistens, medium efficacissimum est, ad perfe- cti amoris cum DEO unionem: indubitatum enim est, perfectiorem DEI notitiam, perfectiorem quoque DEI amorem ingenerare. Nunc de al- tera voluntatis via agendum est, quæ compen- diosius non solum ad cordis puritatem, sed ad amorosam quoque in DEUM transformationem perducit, & propriè orationibus jaculatoriis, acti- busque anagogicis perficitur, quæ scintillæ & sa- gitte amoris ignitæ, præcipua sunt affectivæ par- tis exercitia. Verum animadvertere operæ pre- tium est, aspirationes istas affectuolas non solum ex contemplationis cognitione promanare, sed etiam ex fidei, obscura licet, certitudine, quæ DE- UM infinitè amabilissimum & dulcissimum do- cet. Sæpius etiam ex sola confusa, & generali DEI notitia, abque ullo divinarum perfectionum, aut attributorum particulari intellectu, vivacius in istos anagogicos actus, ignitas aspirationes, & æ- stuantia divinæ unionis, & conjunctionis deside- ria cor hominis protumpit.

Cum enim anima jam certo per fidei revela- tionem sciat, nullatenus se in hac vita DEUM, ut in se est (intellectu nimirum nostro, ad ineffabi- lis & incomprehensibilis divinæ naturæ tam sub- limem notitiam protulisse habere & incapaci) cog- noscere posse, cognoscat tamen omni laude, & amore dignissimum. Hac generali & indistincta cognitione sufficienter illustrata, & convicta fer- ventissimis desideriorum suspiriis, totam amorem resolvit, in eandem DEI voluntatem, eundemque spiritum transformari, totoque corde ad unionem di- vinam anhelat, & ad instar cæci mentis affidentis, ea quæ apponuntur videre quodammodo negli- gens, comedere, & pastu illo cordis divini satura- ri magis exoptat.

Notandum tamen hic est, quamvis hoc, quod diximus viæ hujus præcipuum sit exercitium, ne- quaquam tamen illa, quæ circa specialem DEI, & Christi Domini Redemptoris cognitionem, & maxime ipsius erga nos amorem, virtutumque imitationem versantur, omitti omnino debere. Quinimo quando anima obrepuisse se senserit, di- vini amoris ignem particularibus meditationum exercitiis, quibus magis moveri solet, quasi minu- tulus quibusdam lignis excitare conabitur, qui mox ubi inarferit, omnis istis particularium mo- tivorum considerationibus, anagogicos actus frequenter elicit, intercalatis hisce actibus brevi ad actum amoris continuatum, & puram quan- dam simplicemque DEI contemplationem per- tingens, hinc usque ad perfectam cum DEO u- nionem feliciter pertransit.

G 3

CAPVT